



ALLOCUTIO  
occasione collata  
SPARTÆ SCHOLARCHALIS  
ad  
SPECTABILEM ATQVE CONSULTISSIMUM  
DOMINUM  
**JACOBUM HEN-  
RICUM ZERNEKE**

Veteris Civitatis Scabinorum Vice-Magistrum,  
Collegam honoratissimum  
UTRIUSQUE CIVITATIS SCABINORUM

---

Impress. THORUNII ANNO 1709.

C 403



Speſtabilis atque Conſultiffime Domine,  
Collega Honoratiſſime.

**Q**uando ſingulari planè ac feliciffimo, quod virtutes  
*Tua* pollicentur, omine arduam Scholarchæ Provin-  
ciam, deliberato Superiorum decreto, ſub ejus anni,  
menſis, imò diei propemodum auſpiciis, Patriæ vel  
ſic quoque operam & ſervitium locaturus, demandatam ritè  
ſuſcipis, quibus ſeculo proximè præterlapſo Vir eximiâ do-  
ctrinâ, conſiliorumque integritate, Curiæ juxta ac Muſis no-  
tiſſimus ex Ordine Noſtro, illuſtri ad gloriam exemplo, Scho-  
laſticis faſcibus moderandis tanto emolumento conſtitutus  
præfuit, ut quem indigeſtum trivialemque ingreſſus eſt ludum,  
reliquerit ſplendidum, altioraque ſapiens Athenæum: Nul-  
latenus hinc à debito in *Te* amore Noſtro impetrare potui-  
mus, quò minus (neglectis interim pediffequis bonæ Intentio-  
nis quibuſcunque ſiniſtris cenſuris) non vana ſpei Noſtræ  
argumenta, fore, ut inſimul deſideratiſſima indies capiat, *Te*  
cooperante, hoc Liberalium Artium domicilium incremen-  
ta, publicæ luci, tam congruo ſollicitati Paralleliſmo, præſen-  
tibus exponeremus. Ea ſcilicet memorato Viro, nominan-  
do potius, quando ſummâ cum laude nominari meritus eſt,  
*Caſparo Friſio*, ſimul Liberalium Artium, atque He-  
liconis Noſtri, & Scabinatûs Veteris Civitatis ſuo tempore  
Magiſtro contigit felicitas, ut præterquam, quò ipſo clavum  
Literarium regente, locus piis erudiendæ juventutis uſibus  
tum ante triginta circiter annos conſecratus, (a) maximè con-  
cinnis Auditoriis Claſſicis, Bibliothecâ ob methodum elegan-  
tem, loci ingenium, ſtructuræ formam, & id genus commodi-  
tates, laudatiſſimâ, (b) habitationibusque ad uſus docentium  
diſcentiumque commodiſſimis, Muſeo ſpeciatiim ampliſſimo  
adoleſcentibus ad minimum duodecim ex familiis Confratrum  
Societatis Georgianæ legendis inſerviente, (c) ſumptibus non  
exi-

(a) Vid. Orat. in Actu Exam. anniverſ. hab. à M. Caſp. Friſio A. 1594.  
tu hab. à M. Hnlderico Schobero.

(c) Vid. ſupracit. Orat. M. Caſp. Friſii.

(b) Vid. Orat. in eod. Ac-



exiguus condecoratus fuerit; deutilissima etiam Novæ Curia  
Inauguratione (in qua, quæ primis annis in Academiis tradi sive  
verunt initia, ad quamcunque animum appuleris facultatis,  
magno compendio in Patriæ sinu feliciter percipiuntur) gloria-  
ri potuerit. (3) Fallimur, an ex Genio Propinquorum *Tuo-  
rum* augurari licet, *Te* quoque eâ sollicitudine in conservandis  
Musarum Nostrarum secessibus pro virili semper invigilatu-  
rum, qua illi ædificia publica ad pristinum splendorem revo-  
cando, aliaque in usus Civitatis liberaliter impendendo, non  
vulgarem sibi acquisiverunt gloriam? Hoc sanè certissimum,  
(quod tamen præfiscini dictum sit,) interiorum tenellarum  
mentium structuram, si non prorsus negligatur, dubio procul  
benè & prosperè, ut cæterorum Clarissimorum Dn. Scholar-  
charum, ita *Tua* quoque idea venturam. Etenim si operi ar-  
tificio & firmitate insigni feliciter excitando ille duntaxat Ar-  
chitectus eligitur, qui non speculationibus, sed experientia  
Magistrâ edoctus aptare scit quadrata rotundis; neque Navar-  
chus alius vela ventis dare utiliter potest, nisi quem iterati per  
maria transitus callidum fecerunt, ita vitare Charybdin, ne in  
Scillam incidat: næ probata *Tibi* dirigendi altiorum studiorum  
cursus ratio non infimam merebitur locum, qui vastissimam  
substructionum Philosophicarum molem à Juvene; mysterio-  
rum Theologorum profundum pelagus in celeberrimis Aca-  
demiis per aliquot annos, nec non Forensium Controversia-  
rum abstrusissimos scopulos summâ, ne rerum maximè neces-  
sariarum ignarus esses, diligentiam lustravisti. Quid mirum,  
quod propter eximiam hanc Juris scientiam, Rerum Patriarum non  
contemnendam notitiam Consiliorumque dexteritatem me-  
rito affectu *Te* hætenus Cordatum Assessorem, jam acceptis-  
simum Moderatorem, prosequatur Collegium Nostrum? Tantum  
verò abest, ut solis Nobis hisce dotibus cognitus sis, ut in ex-  
teriorum quoque familiaritatem, publicosque Actorum Litera-  
riorum Catalogos ingenii *Tui* foetus pervenerint, perventuri-  
que sint ulterius, si, quam accurato studio Thorunii sæpius bel-  
lis

(d) Vid. M. H. Schoberi Orat. de Causis & Operis. Nova Curia hab. A. 1594. in ejusd. Inaugur.



lis tentati historiam prelo adhuc subtrahis, Erudito Orbi, re-  
rumque domesticarum Curiosis communicaveris. Præter  
hæc prostant adhuc alia Spartzæ *Tuæ* conformia decora, in-  
fucata Pietas, omnigenæ sapientiæ primordium, comptissi-  
ma humanitas, verum Literarum condimentum, summum-  
que Literatorum æstimium, sed quibus exaggerandis consultò  
superfedemus, cùm in oculis sint omnium. Age modò,  
& quàm es dignus propter virtutes ejusmodi honore, quò  
*Te* adauctū gaudem⁹, tam fortunatus & salutaris fieri indefef-  
sâ Scholarchali Curâ omnibus modis allabora. Patriæ *Te* na-  
tum optimè nosti, Patriæ ergò commodis, ut in Curia facis  
laudabiliter, ita imprimis in Seminario Nostro, Officinâ illâ re-  
virescentis Seculi, Deo Duce, Virtute Comite, pro Mune-  
ris *Tui* ratione studeas, consulasque. Ita verò secundos ex-  
periaris successus, ut *Tuo* aevo in majorem summi rerum om-  
nium Moderatoris honorem, Civitatis undiqve afflictæ gran-  
de solatium, dulcissimarum Musarum refugium tutissimum,  
*Tuiq;* ipsius perennaturam laudem, hisce periculosissimis tem-  
poribus, Athenaeum Nostrium laeta semper agat Halcyonia,  
tùm quoque ex tot publicis cineribus vel unicus ille, innu-  
meris iisque flagrantissimis omnium Patriæ Amantium votis ex-  
peritus reviviscat exsurgatque Phoenix Nostri scilicet *nutantis*  
*gloria Pindi!* *Favebunt, ni fallimur, conatibus Tuis veterani*  
*DD. Professores, aversando novelli & à Matre Academia ad-*  
*huc rubentis Eorundem Antesignani, insignia nec condonanda*  
*undiquaque, præsertim in neniis Hoffmannianis conspi-*  
*cua, quæ ceu cordati Literarum æstimatores, si in vulgus protru-*  
*dere (en lactucam ejusdem labris dignissimam) & huic Priscia-*  
*ni Cruciaro crucem figere vellemus, plaustrorum inveniremus,*  
*jam severioribus Aristarchis, quidni Orbiliis? relinquenda;*  
*Nos potius Suffenum talem, seu alieni furoris mangonem, modò &*  
*in posterum cum sesquipedalibus paraptomatibus juxta illud tibi*  
*Tritum, ad ranas Aristophanis cum ejus <sup>Βενεκενεξ</sup> <sup>αδξ</sup> ablegamus,*  
*revocando ad animum illud Ciceronis: Sit murus inter nos &*  
*Catilinam.*